The worlds ſurueied bounds, braue Drake on thee did gaze,
Both North and Southerne Poles, haue ſeene thy manly face.
If thankleſſe men conceale, thy prayſe the ſtarres would blaze,
The Sunne his fellow-trauellers worth will duely grace.

Ro: Vaughan ſculp

ſould by P. Stent

The worlds ſurueied bounds, braue Drake on thee did gaze,
Both North and Southerne Poles, haue ſeene thy manly face.
If thankleſſe men conceale, thy prayſe the ſtarres would blaze,
The Sunne his fellow-trauellers worth will duely grace.

Ro: Vaughan ſculp

ſould by P. Stent

G. 291.

Ephemeris expeditionis Norreysij & Draki in Lusitaniam.

LONDINI,
Impensis Thomæ VVoodcocke,
apud signum Vrsi nigri.
1589.

BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA

MICHAELI AB Isselt Amorsfortio.

O.H. S.D.P.

Binas à te amantissime Amorsforti, *accepi literas, eodem penè exemplo, 13. Cal. Sept. cõscriptas, fideliter perlatas & firmiter obsignatas, quod ipsum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ, intellexi enim te laborare, vt ad me tuæ expectatissimæ litteræ perferrentur. Ex quibus cepi duplicem fructum, mihique ad iudicandum difficilem: Nam & eisdem quantum me amares abundè testatum reliquisti, (quo nihil mihi potuit esse antiquius), tum de conualescentia Ducis* Parmensis *mihi planè fecisti satis. Nam etiamsi nouerim, quam sit vsitatum apud vos,*

(vbi aliquid seriò sit agendum, vbi exercitus sit contrà hostem ducendus,) nos huiusmodi vanis & conflictis rumoribus securos & consopitos delinire, sparso interim aliquo in vulgus sermone, vel de morte regis Catholici, vel de penuria commeatus, vel de pace transigenda; Tamen cum tam seriò & certò ipsius mors nobis fuisset perlata, mirum in modum anxij & solliciti fuimus. Vndè facilè coniecturam facimus quantum valeant huiusmodi rumores; quantumuis post sesquimensem apertissimè redarguantur. Interim dies elabitur, rerum gerendarum oportunitates intercidunt, actionũ multarum vigor omnis & virtus refrigescit, presertim apud eos quos parsimonia ad securitatem sponte allicit & inuitat. Operepreciũ erat audire, quàm constanter & sedulò dictum atteſtatúmque fuerit, multorum tum sermonibus tum literis, ipsum veneno fuisse sublatum; id factum Ducis Pastraniæ artibus & consilijs, à patre concessione impetrata, vt in ipsius locum surrogaretur. Inde plurimi tumultus & dissidia, inter Italos & Hispanos fore diuinabant; alij regem hianti

bianti ore calumniabãtur, quòd tam fidum sibi fortémque principem, tam benè de se meritum, tam nefando & fædo exitu sustulisset. Alij denunciabant, Pastraneum hoc in mandatis à rege patre habuisse, quòd timeret, nè Parmensis iniuriæ sibi de Portugallia occupanda, quod iure hereditario ad illum descendere, (præsertim antè regem Catholicum) ipsa Lusitanorum regum genealogia planè testatur, aliquandò mentem intenderet: vel quòd vereretur nè sub specie simulatæ pacis cum regina Angliæ transigeret, vt deuisa inter ipsos Belgia, totam occuparent, & propterea cum regia classis preteriret Caletum, ipsum ex instituto in portu Grauelingnensi hæsisse, cum sua classe & copijs. Quísq; pro suo iudicio multiplices, easdémq; dissidentes opiniones cudebat, omnes sibi pacem, trãquillitatem, & securitatem promittebant. Quod mihi de submersione Schinki retuleras dum Neomagum occupare putarat, fuit etiam pergratissimum: erat enim homo acer & pugnax eámq; vrbem infensissimè oderat, antiquæ memor iniuriæ, quod dum eam pro rege recuperasset, Parmen-

sis

sis tamen in illius præsidio Altapennam ipsi prætulerat, & propterea ab eo ad ordines Belgiæ defecerat. Quod à me vltimo petieras, vt te certiorem facerem quis esset successus classis nostræ in profectione Hispanica: Lætor eam mihi oblatam esse occasionem, qua tibi amorem meum erga te aliquo modo testatum relinquerem. Quod eo facilius & fidelius præstiturum me confido, quòd in manus meas fortè inciderit Diarium, siuè quædam relatio & series eorum omnium quæ ibi acta & transacta fuerint: quam mihi vir bonus & fide dignus, qui & spectator & actor aderat, detulit. Quod obsecro, dum videris, si quid occurrat quod minus pro regis Catholici dignitate fecerit, vt (tuo more) vel immutandum, vel omittendum, vel penitus inuertendum cures; satis enim scio, quod sub incude tua venerit limatius proditurum: Eam ego tibi prouinciam impono, ipsa autem quæ mihi sunt delata, ingenuè & verbatim exponam, Quæ tamen vt ritè intelligantur, quædam sunt altius repetenda.

RELA-

RELATIO EORVM omnium, quæ a Norreysio & Drako in sua expeditione Portugalensi, singulis diebus gesta fuerint.

POstquam superiori anno, Catholici Regis classis (expectatione *Hispanorum*) inuincibilis, ductu Ducis de *Medina Sydonia* in mari *Britannico* partim pugnâ & incensis nauibus abacta, partim tempestatibus & peste penè obruta & absumpta fuisset; erant duo Equites *Norreysius & Drakus*, qui obnixè apud Reginam *Angliæ* egerant, vt liceret ipsis expeditionem in *Hispaniam* facere: Ipsa autem pacis & tranquillitatis amantissima, eos admodum inuita audiuit. Tandem res est ad Consilium & Senatum delata; ibi varijs sententijs certatum, multæ hinc illinc quæstiones agitantur & pericula proponuntur. Equites autem quantum viribus eniti, consilio prouidere, authoritate promouere poterant, docent multò quidem esse reipublicæ salutarius, bellum & belli calamitates in hostium agros transferre,

ferre, & apparatus bellicos in portubus iam paratos, vel ad nouum bellum inferendum denuò parãdos, consumere, & deuastare; quàm domi, apud nos, in visceribus regni, hostes in foro, tanquam angues in sinu fouere, vbi euentus belli incertus esse poterit: multóque fore gloriosius, castra Anglica *Vlissiponis* portis potius imminere, quàm Anglum vel vallum hostium ex mœnibus suis videre, vel externos milites muros scandentes propellere; Exemplo *Scipionis*, qui post multorum annorum bellum, ingentes acceptas clades, euictos exercitus, præsertim apud *Trasymenum* & *Cannas* in *Africam* cum exercitu traiecit, vt *Hannibalem* è Romanorum finibus euocaret. Optimum consilium, optimus exitus est consequutus. At aliquot viri egregij optimè de repub. meriti, mirum in modum summa contentione, istam profectionem oppugnant, (gloriam fortasis aliquam naualem, sibi præreptum iri iuidentes) non tamen vt ingenuè fatear, inuidia quàm æmulatione moti, Regiam classem periclitatum, dissidia inter Equites excitum, & publicum inde fiscum exhaustum iri contendunt. Hoc vltimum argumentum maximè potens fuit, expeditionémque penè pessundedit. Equites nihilo secius, cùm viderent hoc potissimùm fundamento argumenta eorum niti, publicæ vtilitati magis quàm priuato commodo seruientes, ad cogendas copias, instruendam classem, omnem denique impensam: ex publico solum 83333. coronatos sibi dari postulant, ità vt si quid vltrà expenderetur, id de suo aut suis facerent. Interim

83333 coronati

dum

dum ità ambiguis contentionibus de die in diem dilatis, variè esset disceptatum, tempus elabitur, multi à profectione deficiunt, plurimi sortem quam promiserant, negant, militum conscribendorum sumptus augescit, omnium penè virtus quam in hac expeditione conceperant deferuescit; & quod maximè obfuit, ingentes præter spem, hac dilatione Equites impensas faciunt; adeò vt quicquid ex suo conficere, aut ex suis elicere quod vel oppignorent, vel venderent, idipsum efficere cogerentur: Insuper quingenti Equites auxiliarij quos Ordines Belgiæ *Norreysio* in auxilium decreuerant quamuis eosdem ipse suo sumptu ex Hollandia transuexerat, in alios vsus detinentur. Tandem tamen cùm de expeditione conuenisset, altera enata est quæstio; an expediret magis in Hispaniam, aut Lusitaniam, aut Indias traijcere? Aderat tum fortè Rex *Antonius*, quem Hispanus regno Portugalliæ expulerat, & auitis sedibus eiecerat; docet nobilitatem, plebem, Lusitanos omnes, reducem Regem repetere, eósque sibi pecuniâ, armis, commeatu, opem laturos, nihilque ipsis defuturum pollicetur; seque, nihil aliud ab eis petere, quàm vt in patrium solum ipsum exponerent. Res diu multúmque agitata est; Tandem omnes commiseratione Regis exulis, auito regno, patriisque laribus per tyrannidem deturbati, facile in ipsius sententiam sunt adducti, æquum enim erat credere Lusitanos, externum iugum & tyrannum facile exhorruisse, natiuum Regem & antiquam libertatem repetiisse. Insuper, spectantes vbi Hispanum Lusitano bello implicassent

Rex Antonius

se minori negotio, vel Hispaniam vel Indias, quæ sub eius ditione essent occupaturos. Quid multa? Vndique est ad bellum acclamatum; postulata pecunia est ex publico decreta, militum numeri complentur, classis apparatur, omnes arma capere, & copias cogere cœperunt: sunt autem *Norreysius* & *Drakus* exercitus & classis designati Consules & Collegæ, intercedente regia authoritate, qui quatuordecem constabat Legionibus, quarum aliæ decem, aliæ octo cohortes habuerunt: ita tamen, vt maxima legio mille milites non excesserit, aliæ non vltrà quingentos, quibus singulis singuli tribuni præficiuntur, inter quos præter supremos Consules, *Gualterus Deuereux* eximiæ spei adolescens vnicus comitis *Essexiæ* frater, erat etiam Magister equitum: *Rogerus Gulihelmius* eques, peditúmque præfectus: duo *Norreysii* fratres *Edouardus* & *Henricus* equites, quorum ille tormentis bellicis & munitionibus præfuit, *Iacobus Haylsus* eques & Quæstor, *Thomas Sydneius* (*Philippi* iuxtà *Zutphaniam* incredibili omnium dolore interfecti frater) *Edouardus Wingfeldius* eques, *Lanus* delectuum habendorum sensor, *Vmptonus*, *Brettus*, *Huntleius*, & *Medkerkus Hollandus*. Exercitu ità instructo, & vnaquáque Legione in Cohortes diuisa, singulis cohortibus etiam singuli Centuriones sunt assignati, quorum numerum nominatim referre, nimis esset operosum. Rebus ita constitutis, *Norreysius* & *Drakus* Douerum confestim contendunt, vbi eodem tempore sexaginta naues Hollandicæ onerariæ benè instructæ ad Rupellam salis emundi gratia (vt dicebant)

bant) profecturæ, inexpectatò appulerant, quarum opera ad milites Plimotham transportandos oportunè vtebantur. Consules nauem conscendunt, vnáque Rex *Antonius, Emanuel Portugalliæ* Princeps, Botelius, Dominus de Brug Baro Hibernicus, *Crommellius, Warbartonus*, & alij nobiles plurimi, sublatis anchoris, expansis velis, flante Aquilone, post triduum Plimotham appulerunt. Ibi statim conuocatis tribunis & centurionibus, singulis singulas naues consignant, commeatum distribuunt, & milites in terram exponunt: tempus idoneum rati, flante nimirum Africo perlustrandi exercitum, instruendi tyrones, reficiendi omnes; exercitus in acies diuiditur, suis vnaquæque se continebat stationibus; vbi castra metati essent, Tyrones milites qui tum primum mœrere stipendia cœperant; docentur cum hoste congredi, receptui canere, per turmas hinc indè crebro concurrere, decurrere, de integro inire bellum, locum tenere, imperium facere, iussa exequi, seque in orbem colligere, cuneum facere & phalangem, sequi signa, ne sine imperio in hostes tenderent, ne pulsi loco cederent, & vt in acie quisque agnosceret ordines suos. Militibus ita aliquot dies exercitatis, vento semper aduerso spirante; Consules militibus classico conuocatis, proclamari & edici iubent, ne quis (capitis pœna) peregrinum militem, vel ignominia vel iniuria afficeret, neue miles quispiam exauctoraretur, aut, à signis abesset, nisi ipsi missionem illis darent, neue transitionem ad alia signa facerent; equites vndequáque disponuntur, qui emansores & desertores prehenderent.

15. Martij.

18. Martij.

21. Martij.

derent. Dum Consules Plimothæ aduersis ventis coacti plusquam integrum mensem hærerent, commeatus absumitur, plurimi milites discedunt, alij ægrotant; hostibus copias cogendi, exercitus conscribendi, & præsidia locis maritimis conferendi
31. Martij. magna datur opportunitas. Interim, conuentus habetur procerum Deuoniæ & Cornubiæ de re frumentaria submininistranda; Qua in re, *Asheleius* regij
1. Aprilis. consilij secretarius, suo aduentu egregiè operam nauauit: totúmque id negotium, vbi de prætio &
4. Aprilis. cæteris conuenerat *Darellio* datum est. His rebus ita transactis quandóque *Boreas* quandóque *Circyus* spirare cœpit; & *Fennerus* prothalassiarcha se nostris cum viginti duabus nauibus adiunxit. Non multo pòst Essexiæ Comes, *Martis* proles, heroïcis & bellicosis ortus parentibus, iuuenis magni & præclari animi, populo, nobilibus, Reginæ acceptissimus, omnia potiùs ferre decreuerat & pericula subire; quàm vt tam illustri expeditioni non interesset, maluit omninò priuatus sine imperio actor adesse, quàm domi, in summa apud omnes gratia, aulicorum grege stipatus manere: citatissimis quantum poterat equis, ad exercitum sese ab aula (nemine conscio) proripuit; & ne fortè regia interueniente authoritate detineretur, Falmothæ iuxta Plimotham *Rogeri Gulihelmij* & *Gualteri* fratris nauem conscendit, anchorísque sublatis, se continuò indè proripit, incertis ventis, assiduísque procellis variè
16. Aprilis. agitatus. Post aliquot dies ventus felicior spirare cœpit, Consules summa festinatione pœna capitis classico omnibus edixerunt naues conscendere,

eásq;

eáſq; è portu educere, veliſq; paſsis (flante Africo) in altum prouehuntur. Claſsis autem conſtabat ſex nauibus regijs, viginti bellicis, & centum & quadraginta onerarijs benè inſtructis; Conſuléſque ipſi Thalaſsiarchæ; *Thomas & Gulihelmus Fenneri*, hîc Prothalaſsiarcha, ille Metathalaſsiarcha; Tribuni naualium cohortium ipſi Conſules, *Thomas Fennerus, Rogerus Gulihelmius & Edouardus Noreycius* fuerunt; Vigiliarum præfectus *Beyerus* fuit, & *Darellius* rem agebat frumentariam. Rebus omnibus ità conſtitutis, vix erat credibile quanta alacritate ab omnibus, *Hiſpania, Hiſpania*, acclamatum ſit. Poſt alterum diem ſub noctem, ex alto Axantam conſpeximus; inde poſtridie (flante Choro) relicta Axanta, Hiſpaniam verſus recta perreximus: ſequente die, flante Vulturno eodémque procelloſo, (impediente vento verſus Orientem tendere) *Coronam* verſus impellimur. Nono Cal. Maij, poſt tertiam pomeridianam, ex alto promontorium Ortingallæ in Galicia conſpeximus, & non vltrà duodecem millia paſſuum à terra abfuimus: ſtatim conſilio habito, ibi totam noctem laxis velis hærere decreuimus. Prima luce *Coronam* perreximus, vento admodum remiſſo, & poſt meridiem in portus parte orientali in anchoris ſtetimus; vbi Hiſpani plurimos irritos ictus ab oppido & arce *Coronę*, ſuis tormentis bellicis eiaculati ſunt. Ad octo millia militum in terram (nullo reſiſtente) exponimus, quibus ſingulis ſuæ ſtationes deſignantur. Continuò oppidi præſidiarij lecta militum manu, nos leuibus prælijs excipiunt: Naues aliquot hoſtium in portu iuxtà pro-

18. Aprilis.

20. Aprilis.

21. Aprilis.

22. Aprilis.

23. Aprilis.

pugna-

pugnaculum ſteterant; inter reliquas, nauis ingens quam galeonam vocant, (fuitq; nauis proprætoria) eique præfuit *Martinus de Ricaldo*, prothaclaſsiarcha regius in expeditione Anglica; duæ etiam naues bellicæ, & alteræ duæ onerariæ mágnæ, apparatu bellico & commeatu omiſtæ, cum duabus triremibus, quæ hinc inde propter malaciam remigantes, negotium nobis facesſere nitebantur, & acceſſum ad oppidum prohibere. Poſtridiè mane, tormenta duo in decliui montis ex oppoſito vrbi, multo negotio (ex oppido, arce, propugnaculo, galeona, & triremibus, in nos tormentis effulminantibus) ante meridiem collocamus. Triremes illicò vnicum ictum non ferentes abiguntur; Galeona à nobis ſæpius perforatur, nec tamen in nos irruere deſtitit; Hoſtis nonnunquam leuibus prælijs (excurſione ex oppido facta) nos adoritur, & illicò re-
25. Aprilis. ceptui canit. *Norreyſius* autem rei militaris gnarus, feſtinandum ratus, ad oppidum occupandum animum adiecit. *Corona* in duo oppida diuiſa, ſuis quódque diſtinctum mœnibus; alterum in decliui montis, quod ſuperius vocabatur, vndique mœnibus cinctum; alterum in plano ſitum, quod mare vtrinque veluti peninſulam alluebat, ex vnica parte ſuperiori continens, vnis mœnibus munitum, inferius eſt dictum. Oppidum autem inferius, tribus ex partibus oppugnare decreuit, primo mari, tum ad duo mœnium propugnacula; quorum alterum orientalem, alterum occidentalem cœli partem ſpectabat. *Feuero* & *Huntleio* ea data eſt prouincia, vt cum mille quingentis ſelectis militibus, lintribus

lintribus & nauiculis impositis; nauali pugnæ præ-
essent; *Brettus* autem & *Vmptonus* cum trecentis o-
rientalem, *Richardus Wingfeldius* & *Sampsonus* cum
quingentis occidentalem partem scalis adoriren-
tur. Quibus rebus ità ordinatis, cõmeatu & puluere
datis, noctu milites scaphas mira sedulitate cõscen-
dunt. Prima luce milite cohortato, signóque dato, 26. Aprilis.
omnes summa contentione quis prior oppidum
occuparet, arreptis armis ad mœnia aduolant. Præ-
sidiarij ex propugnaculo & nauibus, classico dato,
Wingfeldium & *Sampsonum* venientes, alacriter ex-
cipiunt, loco pellunt, iterúmque mœnia scalis con-
scendentes deijciunt. Dum isti hostium impetum
sustinent, *Fennerus* & *Huntleius* lintribus iunctis, à
mari impigrè vrbem occupant; *Brettus* & *Vmpto-
nus* orientalem muri partem transcendunt. adeò vt
post sesquihoram, præsidiarijs & ciuibus ad oppidũ
superius fugatis, inferius in nostram potestatem ve-
nerit. In pugna ex nostris vix viginti milites desi-
derati, *Cooperus* centurio læditur. Antè horam quin-
tam, oppidum militi præda datum: Hostis galio-
nam nobis inuidentes, tormentis, puluere & glo-
bulis repletam incendunt, reliquæ naues nostræ fi-
unt. Antè decimam, totus exercitus in oppidum
introducitur, hospitia singulis per Metatorem de-
signantur. Ingens frumenti vis, carnísque salitæ co-
pia, tormentorum æneorum omnis generis, centũ
quinquaginta, restium, funiúmque nauticarum,
pulueris, aliorúmque belli apparatuum incredibile
dictu, quàm ingens quantitas sit inuenta. Hostis ip-
se ex superiori oppido ædificia aliquot capacissima

 suis

ſuis mœnibus contigua rebus vſibus belli ſeruientibus repleta, ſuperiecto igne incendunt. Interim hoſtium mille quingenti, ex decliui montis non longè ab oppido ſe præcipites deijciunt, oppidúmque verſus peruolant, nihil minus putántes id à noſtris occupatum fuiſſe. *Norreyſius* cum ſex cohortibus venientes excipit, in fugam vertit, fugientéſque ad duo millia paſſuum perſequitur. Eodémque die *Iacobus Hæylſus* quæſtor, à ſclopetario ab oppido ſu-
27. Aprilis. periori læditur. Poſtridie eius diei, incuria quorundam militum vna domus accenſa, centum ſibi contiguas eodem incendio inuoluit, antequam reſtin-
28. Aprilis. gui ignis poterat. Conſules interim officio non defuerunt, loca opportuna ponendis tormentis luſtrauerunt, aggeres, munimentáque pro eiſdem defendendis fieri curauerunt. Hoſtis ex oppido Conſules per tympanam rogat, an *Iohannes de Luna* nobilis Hiſpanus, in ipſorum veniſſet poteſtatem? Reſpõſum eſt, ipſum captiuum eſſe; deinde de dedendo oppido eſt cum eo actum, quod planè & confidenter eſt negatum. Proinde oppidum oppugnaturi Conſules, legiones ſingulas ſuis ſtationibus diſponunt, *Norreyſii* vicarius, *Deuoreux*, *Sydneius*, *Bretius*, cum ſuis legionibus inter monaſterium Sancti Dominici, & mare; *Draki* vicarius, *Rogerus Gulihelmius*, *Huntleius*, *Wingfeldius*, cum ſuis copijs, iuxtà eccleſiam paruã; *Edouardus Norreyſius*, *Lanus*, & *Medkerkus*, ad ripam maris conſidebant, aggeribus, munimentíſque actis, tormenta locantur, ſimúlq; cuni-
29. Aprilis. culos agere incipiunt. *Huntleius* vti iuſſus erat, fru-
30. Aprilis. mentatum & exploratum excurrens, hoſti obuiam

fit,

fit, qui ſtatim in fugam vertitur aliquot trucidatis & captis, ducentorum iumentorum abacta præda. Rebus iam omnibus ad obſidionem diſpoſitis, cum quatuor tormentis ab aquilonari oppidi parte locatis, poſt meridiem mœnia verberare cœperunt; quorum concuſsione, aggeres ſtatim corruunt, tormentarij nudi & immuniti hoſti exponuntur. Ibi *Spencerus* vicarius *Edouardi Norreyſii*, qui tormentis bellicis præfuit, ad ipſius pedes interfectus collabitur. *Goodwinus* centurio per fauces globulo eſt traiectus, dum mœnia conſcendere tentaret. Illud tamen meminiſſe oportet, *Norreyſium* prius cum hoſte per tubicinem de deditione egiſſe, in eúmq; hoſtium aliquem contrà ius belli globulum miſiſſe. Statim poſt intermiſſam obſidionem, *Iohannes de Pacheco Marchio de Cerralbo, Galitiæ* præfectus, qui tum in oppido erat, militem pro mœnibus ſuſpendit, *Norreyſius Marchionem* rogat, an captiuum Anglum per ludibrium & contemptum ſuſpenſum exponeret? Ad quem *Marchio* perbenignè reſpondet, ſupplicium ſumptum de milite fuiſſe, qui contrà tubicinem, eſſet eiaculatus: quod ità eſſe, facile apparuit ex inſciptione collo appenſa, déque iuſto, bonóque bello inter eos tranſactum; cum de permutatione octoginta captiuorum Hiſpanorum, cum totidem Anglis in triremibus eſſet cum eo actum, reſpondet ea de re, ſe nihil à rege in mandatis habere. Poſtridiè manè *Sampſonus* cum quingentis ſelectis militibus, excurſiones in hoſtium agros facit; leui prælio cum mille peditum, & aliquot equitibus congreſſus, in fugam vertit, centum quinquaginta iumentorum

1. Maij.

2. Maij.

3. Maij.

abacta præda. Eodémque die tormentariorum opera irrita facta eſt, aggeribus accenſis, quibus impigrè refectis de integro eſt renouata, ita tamẽ vt perexigua fieret mœnium ruina: ignis etiam caniculo ſubditus cis murum erupit, nullo hoſtibus incommodo. Rebus ità ſuccedentibus, conſilio habito, ſtatuerunt Conſules obſidione relicta, tormenta, commeatum, totúmque belli apparatum ad naues reducere. Interim, quidam milites à Conſulibus conducti, ruinas ſpeculatum emiſsi, referunt, de potiundo oppido non eſſe deſperandum. Quamobrẽ, multa nocte de integro cuniculos agere, & prima luce tormẽtis mœnia reuerberare ceperũt, ſub quintam pomeridianam ruina ſatis ampla & ignis cuniculo ſubditus, integram turrem labifecit & euertit. *Antonio Wingfeldio & Sampſono* ad cuniculum, *Richardo Wingfeldio & Philpoto* ad mœnium ruinam ire iuſsis, teſſera data, magno clamore, ſumma alacritate, ad oppidum peruolant. *Dolphinus* centurio impigrè primus in ruina ſteterat, eccè ſubitò, magna & ampla mœnium pars ex inopinato corruit, ad viginti milites obruit & ſauciat: inter cæteros, *Sydenhamus* centurio occubuit; hinc re infecta quiſque ſe ad ſuas ſtationes recipit. Huic tam inexpectato caſui, oppidum proculdubio ſuam ſalutem & conſeruationem acceptam, penitùs referre debet: ex noſtris ad ſexaginta ſunt deſiderati, & totidem læſi. *Norreyſio* his modis diſtento *Drakus* non conquieuit, omni ope & opera in eo incumbens, vt commeatum (quem *Corona* inferior ſatis copiosè & opportunè ſuppeditabat) ad naues deferret. Con-

4. *Maij.*

ſules

ſules autem quod antè conſtituerant, optimum fore rati, naues repetere, non oppidum ſed regnum animo deſtinantes: quidam milites frumentatum excurrentes, militem Hiſpanum ſecum ducunt; qui refert, *Comites Dandrada, & de Altamira* non procul abeſſe cum exercitu, propè pagum qui *Borghos* vocabatur: eóſque expectare quædam tormenta bellica, quibus nos in oppido obſiderent, aut ſaltem conſcenſum in naues impedirent. *Norreyſius* cum tam vicino hoſte congredi non refugit, vincere aut vinci, vterutrum quandóque glorioſum, fugam fugæuè ſpeciem, turpem ſuaque virtute indignam ratus, inſtructo agmine illicò in hoſtem fertur. Primam aciem *Edouardus* ipſius frater cum tribus legionibus, ſua, *Rogeri Gulihelmij, & Sydnei*: mediam ipſe ducebat cum totidem legionibus, ſua nimirũ, *Lani & Medkerki*: tertiam alter eius frater *Henricus*, cũ ſua, *Huntlei & Bretti* legionibus: reliquas quinque legiones vt præſidio oppido & claſsi eſſent *Drakus* retinuit. Copijs ità inſtructis eas illicò in hoſtem ducit, ſub meridiem non procul à ponte *Borghenſi*: nonnulli hoſtium ex inſidijs prodeunt, qui à Sclopetarijs primæ acie, (quibus *Antonius Wingfeldius* præerat) profligati, ad caſtra refugiunt. Erat inter vtrumque exercitum, flumen amplum ſatis & profundum; ſuper illud pons lapideus, longitudine circiter octoginta paſſuum, latitudine trium. In hoſtium exercitu, erant vltrà decem hominum millia; in noſtro vix quinque millia & quingenti numerabantur. Hoſtes intra munimenta ſua ſe continebant, pontis partem citeriorem, foſsis, vallis, aggeribus

5. Maij.

6. Maij.

geribus muniebant, quibus transitum nostrum præpediret. *Norreysius* cui & animus & manus gestiebant, cum hoste congredi, *Edouardo* fratri (qui primæ aciei præfuit) statim transgredi imperat. Ipse animo intrepidus, quod in mãdatis acceperat, sponte & alacriter exequitur; & cũ eo *Fulfordus* & *Hinderus*, duo præstantissimi centuriones, instar manipularium, plures enim vno ordine propter pontis angustias, progredi non poterant; reliqui ternatim manipulares subsequuntur. Vbi ad medium pontis est ventum, vltrà tria millia sclopetariorum eos in fronte venientes excipiunt; cœlum ipsum fragore intonuit, & globuli instar grandinis vndique decidunt: illi nihilominus vitam tanquam victimam patriæ oblaturi, & anglici nominis gloriam apud omnes gentes hoc insigni stratagemate diuulgaturi, nulla cunctatione, summa alacritate procedunt. Vbi ad manus est ventum, illico ab hoste est trepidatum; & qui longissimè à nostris aberant, priores aufugiunt; qui proximè steterant, pugnare inuiti cogũtur, ne ipsos à tergo fugientes hastis nostri perfoderent: ipsorum autem fugam quos extruxerant aggeres & munimenta retardant, vnica enim patebat exeundi via, multi præcipites exiliunt, cóque acrius cum ijs qui in prima acie steterant, est pugnatum. Ibi *Edouadus Norreysius* dum Hispanum auidè persequitur, labente pede in terram cadit, galeámque amittit: hostis impigrè in ipsum irruit, in capite vulnerat, penitúsque interfeciſſet, ni opportunè Dux *Norreysius* eius frater qui proximus steterat ipsi subueniſſet; *Fulfordus*, *Hinderus*, & *Bartonus* cominus egregiè

egregiè cum hoſte pugnantes grauiter læduntur. Operepræcium fuiſſet videre, quantâ trepidatione hoſtes terga darent, & quàm auidè noſtri fugientes perſequerentur, campos armis ſtratos, montes fugientium cateruatim turmis tectos, alios fluminibus innatantes, aut ſubmerſos, alios paludibus collo tenùs prominentes; alios in luto limóque hærentes, alios per triticum ſæpéſque obrepentes. Quid multa? eorum vltra ſeptingenti cæſi, ex noſtris duo tantùm milites, *Cooperus* Centurio, & Hibernus quidam nobilis. Quinetiã *Medkerkus* tribunus Hollandus, dum ad caſtra reuertitur, ducentos milites qui in Monaſterio delituerant, interficit. Hoſtis regium vexillum, caſtra, omniáque impedimenta, argentea vaſa & ſupellectilem, veſtitum, arma, & cõmeatum amiſit; quæ omnia præda militibus data ſunt: qui obuijs quibúſque vicis ac ædificijs incenſis, eadem nocte ad caſtra redeunt. Illud autem meminiſſe oportet, primam tantummodo aciem cum Hiſpanis manus conſeruiſſe, mediam & terciam, propter pontis anguſtias, in pugna adeſſe, hoſtémque perſequi, non potuiſſe: ità vt parua Anglorum manus, ingentem multitudinem Hiſpanorum fugam magis quàm gloriam meditantium fuderit, & vicerit, Poſtridie eius diei, tormenta, omniáque impedimenta, (ſaucij præſertim & ægroti) ad naues ſumma cura comportantur, omnéſque naues conſcendunt, oppidúmque inferius *Coronæ* totum & funditùs eſt crematum. Dum exercitus anchoris nititur, Conſules conuentu tribunorum habito, quam in partem deinceps tenderent, deliberandum ſtatuunt. *7. Maij.*

geribus muniebant, quibus transitum nostrum præpediret. *Norreysius* cui & animus & manus gestiebant, cum hoste congredi, *Edouardo* fratri (qui primæ aciei præfuit) iterum transgredi imperat. Ipse animo intrepidus, quod in mãdatis acceperat, sponte & alacriter exequitur; & cũ eo *Fulfordus* & *Hinderus*, duo præstantissimi centuriones, instar manipularium, plures enim vno ordine propter pontis angustias, progredi non poterant; reliqui ternatim manipulares subsequuntur. Vbi ad medium pontis est ventum, vltrà tria millia sclopetariorum eos in fronte venientes excipiunt; cœlum ipsum fragore intonuit, & globuli instar grandinis vndique decidunt: illi nihilominus vitam tanquam victimam patriæ oblaturi, & anglici nominis gloriam apud omnes gentes hoc insigni stratagemate diuulgaturi, nulla cunctatione, summa alacritate procedunt. Vbi ad manus est ventum, illico ab hoste est trepidatum; & qui longissimè à nostris aberant, priores aufugiunt; qui proximè steterant, pugnare inuiti cogũtur, ne ipsos à tergo fugientes hastis nostri perfoderent: ipsorum autem fugam quos extruxerant aggeres & munimenta retardant, vnica enim patebat exeundi via, multi præcipites exiliunt, eóque acrius cum ijs qui in prima acie steterant, est pugnatum. Ibi *Edouadus Norreysius* dum Hispanum auidè persequitur, labente pede in terram cadit, galeámque amittit: hostis impigrè in ipsum irruit, in capite vulnerat, penitúsque interfeciſſet, ni opportunè Dux *Norreysius* eius frater qui proximus steterat ipsi subuenisset; *Fulfordus*, *Hinderus*, & *Bartonus* cominus egregiè

egregiè cum hoſte pugnantes grauiter læduntur. Operepræcium fuiſſet videre, quantâ trepidatione hoſtes terga darent, & quàm auidè noſtri fugientes perſequerentur, campos armis ſtratos, montes fugientium cateruatim turmis tectos, alios fluminibus innatantes, aut ſubmerſos, alios paludibus collo tenùs prominentes; alios in luto limóque hærentes, alios per triticum ſæpéſque obrepentes. Quid multa? eorum vltra ſeptingenti cæſi, ex noſtris duo tantùm milites, *Cooperus* Centurio, & Hibernus quidam nobilis. Quinetiã *Medkerkus* tribunus Hollandus, dum ad caſtra reuertitur, ducentos milites qui in Monaſterio delituerant, interficit. Hoſtis regium vexillum, caſtra, omniáque impedimenta, argentea vaſa & ſupellectilem, veſtitum, arma, & cõmeatum amiſit; quæ omnia præda militibus data ſunt: qui obuijs quibúſque vicis ac ædificijs incenſis, eadem nocte ad caſtra redeunt. Illud autem meminiſſe oportet, primam tantummodo aciem cum Hiſpanis manus conſeruiſſe, mediam & terciam, propter pontis anguſtias, in pugna adeſſe, hoſtémque perſequi, non potuiſſe: ità vt parua Anglorum manus, ingentem multitudinem Hiſpanorum fugam magis quàm gloriam meditantium fuderit, & vicerit, Poſtridie eius diei, tormenta, omniáque impedimenta, (ſaucij præſertim & ægroti) ad naues ſumma cura comportantur, omnéſque naues conſcendunt, oppidúmque interius *Coronæ* totum & funditùs eſt crematum. Dum exercitus anchoris nititur, Conſules conuentu tribunorum habito, quam in partem deinceps tenderent, deliberandum ſtatuunt, *7. Maij.*

statuunt; varijs sententijs certatum, alij Lusitaniam, alij Biscaiam petendam, suis quisque allatis rationibus, contendunt. Re autem ad nauarchas delata, eorúmque sententia expetita, ipsi expeditionem in Biscaiam, & Guepuscam, vehementer oppugnant. Tandem de Lusitania tentanda conuenit, sublatísque anchoris, vela ventis dantur. *Gulihelmus Knolsus* Eques, & *Darceus* Angliam repetunt. Priusquã
9. Maij. Cyzargam venimus, sex nostrarum nauium quæ ventis abreptæ aberant, nobis occurrunt; de Cyzar-
10. Maij. ga Mongiam venimus; indè, ad promontorium
11. Maij. Celticum, quod hodiè finem terræ vocant: postri-
12. Maij. diè obuius nobis fit Comes *Essexiæ*, cum *Philippo*
13. Maij. *Butlero* Equite, qui tanquam fidus aliquis *Achates*, & periculorum consors, nunquam ab eo aberat; secúmque tres naues re frumentaria onustas, quas ab hoste ceperat, ducit. Summo omnium applausu, & lætitia excipitur; est enim, propter virtutes animi, corporísque dotes, generis & familiæ nobilitatem, morum facilitatem, & in re militari scientiam & industriam, nobilis, omnibus longè gratissimus. Ipse autem ex quo Falmotha soluisset, vnà cum *Rogero Gulihelmio* & *Butlero*, hoc primùm die se classi nostræ iunxit. In Australem enim partem, inter Rupem vt vocant, & promontorium Sancti Vincentii cursum dirigens, Bayonæ appulit: vbi militibus in terram expositis, excursiones facit, hostes in fugam vertit, mox se in naues recipit. Non multò post, quas secum perduxit naues conspicit, aggreditur, vincit. Sub aduentum ipsius, ventus alacrior multò, secundiórque spirabat Circius, adeò
14. Maij.

vt

vt laxis remiſsíſque vẽlis, onerarias naues, quæ non tam expeditæ & celeres eſſent, præſtolari cogeremur. Vbi non longè à Berlinga abſumus, conſilio habito, Conſules decernunt Penicham appellere. 15. Maij.

Poſtridie prima luce, Berlingam ab alto conſpeximus: flante Aquilone, ante tertiam pomeridianam, in portu propè Penicham in anchoris ſtamus. Ibi arcem iuxta pagum munitiſsimam cernimus: Illico *Sampſonus* cum quingentis militibus, ex oppoſito arcis, iuxtà præruptam ripem in parte Auſtrali deſcendere iubetur. Conſules ipſi cum lecta militum manu, in loco arenoſo, iunctis ratibus & lintribus, ad mille paſſus ab arce, ſeſe in terram exponere ſtatuunt. Mare autem vndoſum & valdè turgidum, nauiculas prope litus accedere prohibet: hoſtis in ripa conſtitit, deſcenſum prohibiturus. Eſſexiæ Comes, vir magno & excelſo animo, vbi hoſtes vibrare haſtas, enſes concutere, nobis minitari videret, arreptis armis, impatiens moræ, primus ſe in mare proijcit, pectore tenus immerſus, non ſine ſummo vitæ diſcrimine, nam ſimul & de nauibus deſiliendum, & in fluctibus conſiſtendum, & cum hoſtibus erat pugnandum, multi nobiles & centuriones, inter quos *Butlerus* & *Baskeruillius* equites *Iacſonus*, & *Puius* Comitem ſequuntur, cum hoſte cominùs congrediuntur: acriter primò eſt pugnatum, hoſtis illicò pedem retulit. Comes cum paucis (reliquum exercitum non expectans) eos longè perſequitur. *Puius* centurio interficitur. *Sampſonus*, dum *Eſſexius* pugnam ſuſtinet, deſcenſu minimè prohibetur. Arx ipſa munitiſsima, & in- 16. Maij.

17. Maij.

 expugna-

expugnabilis, re frumentaria, apparatu bellico, tormentis & præsidio instructa, Regi *Antonio* deditionem facit. Consules, classico dato, militibus pœna capitis edicunt, ne quis Lusitanum quempiam verbis offendat, contumelia afficiat, iniuria lacessat, bonis spoliet, ædificia incendat, agros populetur, aut quicquam in eos hostiliter agat: maximè, ne templa, monasteria, aut loca cultui diuino dicata, quouis modo profanet. Accurrunt aliquot monachi, & multitudo quædam inermis Regi *Antonio*; ex nobilitate nullus, traditis enim armis, obsidibúsque datis, & in Hispaniam missis, de *Antonij* partibus sese profiteri non sunt ausi. Consules, conuocatis Comite *Essexio*, & tribunis, consilium ineunt, quid deinceps faciendum commodissimè videretur; tandem omnium sententijs & suffragijs in eo conuenit, vt *Norreysius* cum exercitu Vlissiponem pergat; quæ ad quadraginta octo millia passuum à Penicha abest, *Drakus* cum classe, apparatu bellico, re frumentaria & impedimentis, eo versus veniat, & apud Cascalim consideat, vt exploraret an ibi vlli essent qui à Regis *Antonij* partibus starent, vt ad omnem aduentum exercitui subsidio esset, vt commeatum omniáq; auilia ab Vlissipone præcluderet: Datis dexteris *Norreysius* exercitum, *Drakus* classem instruit: censuque militum habito, non vltra sex millia castris idonei conscribuntur, idoneo classi relicto præsidio. Nihilo secius *Norreysius* vti constituerat, cohortibus sex præsidio classi relictis, & Bartono in arce Penichæ, castra mouet, triplici acie instructa: Primam ipse ducit,

18. Maij.

quæ

quæ constabat legionibus quinque, sua, *Rogeri Guilhelmij, Henrici Norreysii, Lani & Medkerki*. Media, quatuor habuit legiones, *Draki, Deuoreuxi, Edonardi Norreysii, & Sydnei*. Tertia, quinque: *Haylsi, Wingfeldii, Vmptoni, Bretti & Huntlei*. *Darellius* singulis militibus commeatum, in triduum dare iussus, tantúmque cuique pulueris, quantum quisque secum commodè ferre poterat. Nam neque equos, neque carros, aut rhædas, quibus secum sarcinas aut impedimenta ferrent, habuerunt. Rebus sic constitutis, *Norreysius* castra mouet, cum rege *Antonio, Emanueli* principe & Comite *Essexiæ* qui quotidiè in prima acie stetit: & in vico, *Lorygna* nomine, castra posuit. Inde singulis diebus mutatis agminibus ad pagum quæ Torres Vedras vocatur, perrexit: vbi arx erat in prærupto collis munitissima; equites aliquot hostium cõspiciuntur, sed repentè (tanquam conspectu nostro conterriti) pedem referunt. Manè *Norreysius* ab exploratoribus cognoscit, equites quinquaginta hostium non longè à castris abesse; vt si quos frumentatum palantes inueniant, ab exercitu præclusos capiant. Hos *Yorkus* cum equitatu & aliquot peditibus missus, mox in fugam conijcit, eóque die Lusitani villici commeatum satis liberaliter (fugatis Hispanis) nobis adferunt: & in duobus vicis, eiusdem nominis, Anchara dictis & Fano Sebastiani, castra metamur. Hîc ad nos nouia adferuntur, classem nostram propè Cascalim appulisse. Postridie ad vicum qui Lores vocatur contendimus, vbi hostem cum trecentis equitibus in planitie non vltrà mille passus à nostris copiis abesse videmus.

19. Maij.

20. Maij.

21. Maij.

Contra quos *Henricus Norreyſius* vti iuſſus erat, cum ſua legione, & *Yorkus* cum equitatu proceſſit. Illi autem præcipites in fugam verſi, aduentum eius, minime ſuſtinent: Quamuis viarum anguſtiæ, locique opportunitas, eos facile ad pugnam allicceret. Eodem etiam die ad *Norreyſium* à *Draco* literæ perferuntur; quibus ſignificat, ſe cum claſſe veniſſe, & mille quingentos milites in terram expoſuiſſe: cui ille viciſsim reſcribit, monétque diligenter excubias agat, militem in armis habeat; hoſtem enim cum exercitu in ſuburbijs Vliſiponis conſidere. Ea nocte hoſtis in *Draki* & *Vmptoni* legiones impetum facit; eorum tamen plurimi interfecti, noſtrorum vix octo deſiderati. Sequenti die, de Lores ad Alueladam iter inſtituimus; *Norreyſius Rogerum Gulihelmium* cum lecta militum manu præmittit, vt hoſtem ex inſidijs opprimat; ſæpè hoſtium equitatum ex collibus vicinis cernimus, nunquam tamen prælium committere audebat. *Rogerus Gulihelmius* poſtero die ex inſidijs reuerſus, hoſtem nullum videt; omnes enim intra mœnia Vliſiponis ſe continebant. Tamen ab exploratoribus & captiuis cognouimus, Cardinalem Auſtriacũ Portugalliæ proregem ſæpius oppido exijſſe, prouiſum locum idoneum caſtris ponendis, metatúmque ſtationum ambitum. Hac arte & conſilio, nempè ciuibus vt perſuaderet, preſertim ſuboppidanis, quorũ bona, fortunæque omnes in multo verſabantur diſcrimine (expoſita enim patebant noſtrorum militum ſpolijs, muris & portis deſtituta) ſe nobiſcum prælium commiſſurum, nóſq; ab vrbe propulſurũ.

22. *Maij.*

23. *Maij.*

Nos

Nos tamen (nullo reſiſtente, nedum in conſpectum venire audente,) educto manè è caſtris milite, Vliſſiponem contendimus: Primum agmen Alcantram ingreditur, reliqua duo totam noctem agunt in armis. Hoſtis ex oppido nullas eruptiones facit, nihil hoſtile agit; quatuor ſolùm tormentis *Gabrielis* de Niños arcis Vliſſiponis præfectus aduentum noſtrum conſalutauit. Poſtridie eius diei, totus exercitus in oppidi ſuburbijs quæ *Bona viſta* vocantur, per ſtationes eſt diuiſus. Hiſpanus enim ſe in vrbem & arcem recondiderat: iuxta meridiem equites aliquot ſelecti oppido exiliunt, vociferantes, *viuat rex Antonius*; in ſtationem *Bretti* tribuni irruunt, aliquot vigilum interficiuntur. Noſtri, repentè claſsico dato, & arreptis armis, eos alacriter excipiunt, plurimos interficiũt, aliquos capiunt, *Eſſexiæ* Comes eos ad Vliſſiponis portas vſque perſequitur, víxque retrahitur ne in eas irruat; irruiſsétque proculdubio, niſi ipſum *Rogerus Gulihelmius* inuitum retinuiſſet. *Brettus* cum hoſte fortiter cominus haſta pugnans, ictus à ſclopetario; & *Carrus* centurio occubuit: ex gregarijs non vltrà ſex. In *Bona viſta*, opima ſpolia victoribus ſi fortuna ſua fuiſſent vſi, ſunt expoſita: piperis, cinamomi, nucum muſcatarum, gariophillorum, maceris, omníſque generis aromatum, tanta copia, quantum vix integræ ædes capere poſſent; pretij ad minus 300000. coronatorum, ſuppellex copioſa, domeſtica vtenſilia ſummi pretij, rei frumentariæ, panis biſcocti, vini, omníſque generis commeatus; qui alendo exercitui ad duos integros menſes liberaliter ſufficeret. 24. Maij.

Hostis, vbi nos aduentare conspicit, horrea regia & publica, frumento, oriza, pane biscocto, commeatu, & apparatu bellico, & classico turgentia incendit, ne in nostram potestatem venirent: Suburbia tam regaliter instructa, ampla & spacioſa erant, vt facile in illis exercitus noster conderetur. Propterea *Norreysius* quingentos milites vltrà consuetas vigilias, dies noctésque in armis esse iussit, hostium excursiones ex oppido vt exciperent. Erant in vrbe ad quinque millia Hispanorum, quatuórque ciuium legiones benè instructæ, vltrà oppidanorum & suboppidanorum numerum infinitum, qui acceptis armis, obsidibúsque datis, se in fidem, potestatémque Hispani regis iuramento dederant. Erant præterea triremes duodecem, & vnica galiona, naues bellicæ sex; quæ se semper in australi Vlisiponis parte tenebant: nihil interim hostile memoratu
25. Maij. dignum facientes aut tentantes. *Norreysius* vbi tormentis & puluere egêre, quibus Vlisiponem oppugnet, hostium copias de die in diem cogi & augeri, nostras ægritudine & æstu minui, Lusitanos perpaucos eosdémque inermes venire, cùm nulla subsidia speraret, cum exercitu post meridiem, ad Cascalim tendere statuit. Rex *Antonius* falsa spe elusus, semper aliquid noui sperans, (facile enim quod volumus credimus) postulat eam noctem maneat. *Norreysius* habito de ea re, cum Comite *Essexio* & tribunis consilio, ex omnium consensu, regis
26. Maij. postulatis concedit. Nox illa nihil noui peperit, exercitum manè ex *Bona vista* eduxit, castráque mouet: quinque hostium triremes, iuxta pontem in

nos

nos ſuis tormentis eiaculantur; vnus miles læditur, & *wilſoni* mulus cui aſsidebat, interficitur. Hiſpani, ſcientiæ militaris immemores, in poſtremum agmen, nullam impreſsionem, nullam impetum faciunt. Vbi ad tria millia paſſuum ab oppido abfuimus, trecentos equites in decliui Montis conſpicimus; nihilo ſeciùs, inceptum iter peragimus: oſtentatum ſuo more non pugnatum venerant, nihil enim hoſtile agunt, eadémque nocte ſine certamine ad Caſcalim caſtra ponimus. Poſtridiè conuocatis Rege, Conſulibus, Comite *Eſſexiæ*, & tribunis, habitóque conſilio, multùm diúq; agitatur quid proximè agendum. Varijs ſententijs certatũ; alij modò cõmeatus ex *Anglia* afferatur, & *Drakus* cum claſſe, arcẽ Iuliani præteriret, exercitum Vliſiponem reducendum; alij inſulas petendas, aliúdue aliquod facinus tentandum ſuadent: ſed re infecta demiſſa eſt concio. Proximo die ſub meridiem ab explora.oribus refertur, Comitem de Fontibus, *Petrum Henriquez de Guzmano* militum Luſitaniæ ductorem, non vltrà duo millia paſſuum à caſtris noſtris cum exercitu conſidere; habere ad ſex millia peditum, & quingentos equites; Comitem verbis, literis, impreſsíſque libellulis, ſparſiſſe in vulgus, exercitum Anglorum Vliſsipone profligatum, & in fugam verſum. *Norreyſius* indignabundus, prima luce poſt mediam noctem literas manu ſua ſubſcriptas, ſigillóq; conſignata, ad Comitem per tubicinem mittit, docet ſe cum exercitu ante meridiem venturum, vt armis non verbis huiuſmodi mendacia redarguat, ipſe modò aduentum

27. *Maij.*

28. *Maij.*

29. *Maij.*

tum eius præstoletur; vnum se petere & deprecari, velit periculum facere, Anglus an Hispanus se prior in pedes conijciat. Eodémque tempore per eundem, *Essexiæ* Comes, Comitem ad duellium prouocat, aut quemuis Hispanum suæ sortis, & conditionis, vt secum siuè singulari certamine, siuè vt decem Angli cum totidem Hispanis, plures pauciorésue congrederentur: & ne fortè, vim aliquam tubicini inferrent, literarum superscriptioni hoc addunt; si quod ipsi probrum aut damnum facerent, idem *Iohanni de Luna* Hispano captiuo se facturos. Exercitus noster repentè collustratur, censúsq; militum habetur, ex sanis non erant peditum vltrà quatuor millia, & quadraginta equites. Cum his *Norreysius* manè procedit, incredibile dictu quanta alacritate milites cum Hispano congredi gestiunt; Hostis interea abijt media nocte conterritus, nos in armis esse, & acies copiásque instruere audiens, trepidè solutis ordinibus, se in fugam conijcit: Comes euadit, se sanum, saluúmque intra moenia Vlisiponis continet; soli aliquot equites conspectum nostrum non ferentes, visi ac illicò fugati. Tubicine Vlisiponem ad Comitem misso, sine responso reuerso, sub horam quartam *Norreysius* se in castra recipit. Propè Cascalim arx erat, ampla satis, & munita; de istius expugnatione & deditione agitur: quæ statim aggeribus actis, tormentísque locatis, se in nostram fidem potestatémque dedidit, ea conditione, vt præsidiarii cũ armis & sarcinis, nulla iniuria aut maleficio lacessiti discederent: fide publica, conductúque dato, incolumes ad suos redeunt:

30. Maij.

31. Maij.

in

in arce sex magna tormenta ænea, quadraginta dolia pulueris tormentarij inueniuntur; præsidiariis néque res cibaria, nec apparatus bellicus defuit. Hîc aliquot dies commorati, commeatum subsidiúmque ex Anglia expectantes, sexaginta naues Vrbium Hansaticarum annonâ & mercaturâ onustas, in Hispanorum vsu, & viginti Britannicas in Vlissiponem ituras capimus; militem nostrum in eas imponimus, Hollandicas dimittimus, frumento pro stipendio dato; *Gualterus Deuoreux & Sydneius* in Angliam reuertuntur. Postridiè eius diei consilio habito, omnium consensu est ad naues acclamatum, singulis singulæ designatæ; annona distribuitur. *Sampsonus* cum septem nauibus missus, vt *Bartonum* quem præsidio arci Penichæ reliquerant, & tormenta bellica secum ferrent, Essexiæ Comes grassante inter milites epidemia, vino, aranciis, limonibus, fructibúsque delicatis minimè assuetos, pluribus ægrotantibus, summo cum omnium dolore in Angliam reuertitur. *Barkerus*, quem à discessu nostro à Corona amissimus, aduenit: *Crossus & Plattus* cum commeatu ab Anglia missi, nobis fiunt obuiam; nauibus frumentariis ad promontorium australe missis, propterea *Plattus* vti in mandatis habuit ad eas impigrè perrexit, vt quò tenderent quídue facerent cognoscerent. Sexto Id. Iunii arce Cascalis, puluere bombardico penitùs euersa, sublatis anchoris, passis velis, flante Borea, mari nos committimus. Postridiè quindecim naues nostras frumentarias, ab alto conspeximus, quæ eodem die se nobis adiungunt. Spirante Libanoto,

1. Iunij.
2. Iunij.
3. Iunij.
4. Iunij.

ſtatuunt Conſules Bayonam, ſin ad Boream muta-retur, ad inſulas contendere. Prima luce, ecce nouem triremes, quæ primò tum Anglica naue congreſſæ, diúque pugnantes eam re infecta relinquunt, duas Hanſaticas adortæ, in quarum altera, erat *Mavei* vicarius, in altera *Minchonus* Centurio: magna diù vtrinque alacritate certatum, pugna atrox & anceps, alter vt vinceret, alter vt euaderet: mediâ pugnâ caſu, vt ſæpè fit, ingens flamma è nauibus emicuit, totæque concremantur: quibus etſi propter malaciam & ſerenitatem cœli, nullo modo ſubſidio eſſe licuit. Tamen *Drakus* quantum remorum opera conſequi potuit appropinquans, è nauis ſuæ prora tormento adacto ſeptem vnico ictu triremes abegit, reliquæ ſtatim ſequuntur, néque intra teli iactum procedere audebant, mox in portum ſe recipiunt, quaſi re benè geſta. Nos hinc illinc variis ventis agitati, non paucis diebus intercedentibus inſulas Bayonæ primùm, poſt Vigam conſpeximus: ibi ſub noctem appulſi in anchoris ſtamus. Triginta tres ex noſtris nauibus, quæ nos præuerterant, propè inſulas viſæ, claſſico militi dato, bonorum omnium ex oppido auferendorum opportunitatem hoſti dederunt Hoſtis tamen tympanorum ſonitu facto, vigilijs diſpoſitis, eiſdémq; releuatis, præ ſe fert oppidi defenſionem; deſcenſúſq; noſtri in terram prohibitionem. Prima luce propè oppidum mille quingentos milites in terram exponimus, qui repentè in duo diuiſi agmina ad oppidum tendunt. *Drakus* intereà cum *Richardo Wingfeldio* in alteram oppidi partem fertur;

Fennero

Fennero nauibus ad oppidum ductis qui tormentis plateas euerreret iusso. Hispano aduentum nostrum non sustinente, omnibus in fugam versis, oppidum (nullo resistente) ingredimur; missis vndique militibus qui excursiones facerent, ac vastatis agris, vicis, ædificiisque incensis, prædas agerent: Ibique totam noctem commorati, consilio habito, proximo die propè insulas, solutis anchoris hærere decreuimus; ibique statuere quid denuò esset faciendum. Postridie sicut conuenerat, oppido penitùs accenso, classico dato ad naues redimus. *Drakus* & ventum & æstum vno tempore nactus secundum cum maiore classis parte ad Angliam prouehitur; milites, nautæque ità cateruatim & subitò moriuntur, vt non tutum ibi longiùs commorati putaret, non ignarus eorum quæ Classiarijs sæpissimè vsu veniunt, vsus est venti opportunitate. *Norreysius* ibi biduum expectare cogitur, partim vt aquandis nauibus prouideret, partim vt aliquas earum tutò è portu educeret ne hosti præda essent. Tandem multis procellis variisque ventis agitatus, ad 5. nonas Iulij Plimotham appulit. *21. Iunij.* *3. Iulij.*

HAbes amantissime Amarsforti veram & diurnam relationem eorum omnium, quæ à nostris in Hispania & Lusitania sunt acta: verbatim perscripsi, nihil immutandum nihil delendum putaui, id tibi totum relinquo qui optimus es ea in re artifex. Obsecro vt me tuis rationibus adiuues, quibus hanc quam illi vocant Hispanorum vecordiam: Quòd ab Anglis semper pulsi cederent, quòd pontẽ iuxta Coronam desererent, quòd tàm trepide fugerent, regiúmque vexillum amitterent: Quòd cum exercitu nostro à Penicha ad Vlissiponem sex dierum via nunquam congrederentur: quòd nos triduum sub Vlissiponis mœnibus in Bona Vista sine pugna & certamine morari permitterent: Quòd decedentes à tergo nulla impressione facta insequerentur; Cur Comes de Fontibus, cùm tàm prope cum exercitu consedisset, prælium subterfugeret; literis præsertim Norreysij & Comitis Essexiæ tàm ignominiosè inuitatus; quòd nullam classem rex instruxerat vt nos pugnâ nauali exciperet: Quòd nauibus Hansaticis qui tam longum nouumq; iter citra Scotiam & Hiberniam,

uiam, per multa maris discrimina suscepissent & auxilium, commeatum, classicúmque apparatum tam amice prouexissent, nullam opem ferrent, aut præ se ferre gestirent; Quòd triremes duabus nauiculis incensis, tanquam re bene gestâ nihil vltrà auderent. Ego autem pro ingenij mei tenuitate respondeo, Comitem in mandatis à rege habuisse Vlissiponem defendere, cum exercitu nostro minimè congredi, se enim scire exercitum nostrum, deficiente commeatu; nullo interueniente ab Anglia subsidio, peste grassante facilè sine sanguinis effusione absumptum iri. At illi exclamant, summum esse dedecus, regium amittere vexillum, semper terga vertere, instar pecorum à canibus abigi, pati Coronam, Vigam, pluriméque arces vicósque incendi, cõmertia mercatorum cum Hispano præcludere, mercaturam cõmeatúmque intercipere, tormenta, classicum apparatum bellicúmque auferre aut exurere: sed quod maximè vrgent se hac expeditione Hispanorum vecordiam, timiditatem & ignauiam orbi notam fecisse & quam sint domi excordes, excepti aliquot veteranis militibus

in Belgia plurimis annis exercitatis. Quibus quid respondeam, obsecro vt me proximis literis doceas. Quod in vltima parte literarum tuarum Angliæ Catholicos ingratitudinis coarguas, quod tibi nullam gratiam retulerint (noui enim quam gratiam intelligas) quod in vltimis tuis libellulis aduersus Angliæ reginam, eiúsque senatũ præsertim Comitem Leycestrensem *tã acerbè esses debacchatus, quòd opem Belgis rebellibus tuliſſent, quod de Comitis* Northumbriæ *morte tàm artificiosè fingeres, dictum sat est: ego cauebo aliquot tibi coronatos mitti, scio enim te mihi parem gratiam relaturum. Interim me tuis literis de omnibus quæ ibi occurrant, præsertim de Parmensis salute certiorem facias. Ego tibi quacúnque re potero me nunquam defuturum recipeo spondeóque, méque vt soles ames.*

Vale.

FINIS.

BRITISH MUSEUM